

1568

tempore auxilium feratis , vobisque amplissimum ac potentissimum regnum perpetuo devinciatis ? Italiam , Rempublicamque vestram incolumem servetis ? Quis enim ignorat , Galliis nihil adversi accidere , neque commoveri amplissimum regnum posse , quin eodem motu atque impetu Italia Galliae finitima concutiat , ac convellatur ? Subvenite itaque Christianissimo Regi ; religionem tuemini ; neque a majoribus vestris , neque a vobismet ipsis degeneres , laboranti Galliae turbulentis , ac difficillimis tempestatibus opem non denegate . His a Caroli legato enunciatis , ut e Patrum Collegio duo eligerentur , qui cum Foxio de auxiliis ferendis agerent , in Senatu latum . Lecti Vincentius Maurocenus consilii , Joannes Baptista Foscarenus continentis Sapientes ; quibus referentibus , centum aureorum millia iis , quibus legatus petierat , conditionibus Regi commodata . Vario eventu , in Gallia pugnatum ; Gennabum a Condæo captum ; multi ex foederatis , qui sub Acerio , ut se Condæo conjungerent , iter in Pictavos moliebantur , a religiis cæsi , ac profligati sunt .

Eodem tempore in Belgio dubio marte , modo Araufionensi , modo Albano Duci adspirante fortuna , certatum ; complures , quos novarum rerum cupidos seditioni , aut tumultibus alimenta ministrare rebatur , comprehensos supremi supplicii poena Albanus affici jussit ; in Egmundanum , atque Hornanum comites Bruxellis medio foro capite animadversum . Qua ex re ingens adeo in cunctis fere Belgarum animis commotio est consecuta , ut belli incendio uberrimæ , ac ditissimæ illius regionis provinciæ conflagrarent ; funesto ac fortasse non inutili exemplo , quam sæpe acerba , ac duriora imperia mortales ad desperationis casus adactos , moliri extrema quæque , non tam ipsis , quam Principibus exitiosa , compulerint . Belgii tumultibus , quibus Philippi Hispaniarum Regis animus vehementer angebatur , Caroli majoris natu filii obitus accessit , quem turbidi , atque efferati ingenii juvenem , quod adversus regiam majestatem multa egisset , antea omni armorum genere adempto , custodiæ tradi jusserat . Verum alti animi juvenis , probri , atque injuriæ impatiens , cum vita indecoram regiæ fortunæ notam delere statuit ; quamque sibi gladio inferre nequiverat , inedia vincente naturam , necem sibi

Veneti con-
tum aureo-
rum millia
Carolo Regi
commodans.

Egmunda-
nus , & Hor-
nanus Co-
mites ab Al-
bano Duce
capite da-
mnati.